formarum in communi sensu et est primus ordinum spiritualium. 3us est ad huius (?) in virtute ymaginativa et est adhuc magis spiritualis. 4us est esse in virtute illius distinctiva et est adhuc magis spiritualis. Quintus est ad huius in virtute memorativa et est magis spiritualis predictis quia ipsa respicit medullam recipit anima quod dicunt tres virtutes distinguuntur a cortice.

¶ Quod memoria est de solo preterito capitulum. 124.

a Aristotiles in libro de memoria et reminiscentia dicit quod memoria solius preteriti apprehensiva est. Huiusmodi talis est memoria futuri est quod omnino non fit. Memoria est passio sequens sensum quia ut idem ibidem dicit quod tunc memoratur cum sit presentia intelligibilis vel sensibilis in actu habeat speciem eiusdem intelligibilis et speciem sensibilis et hoc nichil aliud est quam recordatio de preterito. Ad idem idem in eodem. Omnis apprehensio aut est presentium aut preteritorum aut futurorum. Sed futurorum apprehensio est spes presentium sensus sed memoria neque est sensus neque spes ergo nec presentium est apprehensio nec futurorum sed tantum preteritorum. Ex dictis concludit sic quod quecumque animalia tempus sentiunt id est sciunt sensum temporis et percipiunt in quo tempore res est et illa sola memorantur sed non investigant per rememorationem ut homo et ista virtus in animalibus non habet nomen propter hanc virtutem tamen Avicenna existimationem vocat per quam virtutem fugit animal nociva naturaliter licet nunquam ante senserit talia.

¶ De modo reminiscendorum memorandorum. 125.

Commentator super illum librum Aristotelis dicit quod memoria et reminiscentia in reminiscendo aliquam rem cum ad intelligibile deponitur in anima virtus memorativa primo rem facit presentari ymaginativa vero presentari formam ipsius sed distinctiva componit rem vel formam vel intentionem quam distinguit. Intentio igitur forme reputatur a rememorativa descriptio vero ab ymaginativa sed compositio intentionis rei cum descriptione forme eiusdem rei fit a distinctiva et per congregationem istarum trium virtutum presentatur res oblita apud investigationem rememorationis et etiam reminiscitur omne reminiscibile

¶ Ex predicto modo reminiscendi que sunt reminiscibilia. cap. 126.

a Aristotiles in libro de memoria et reminiscentia volentes bene reminisci oportet primo reminisci antecedens totius consequentis quo accepto de facili fit reminiscentia consequentis. Item in eodem ut bene reminiscamur oportet primo reminisci aliquid ad cuius motum sequitur motus alterius et dicit quod illud quod consuetum est reminisci per aliud potest esse simile vel contrarium vel connexum per naturalem similitudinem unde et in eodem alibi dicit quod res elapsa a memoria duobus modis potest ad memoriam revocari: quandoque per suum simile quandoque per suum contrarium. Item in eodem facilior est reminiscentia in illis que habent ordinationem consequendi ad invicem quam in illis que inordinate se habent ad invicem quia que primo ordinantur ad invicem de facili reminiscuntur. Idem in eodem fit bona reminiscibilitas per consuetudinem quia consuetudo altera est natura

¶ De hiis que salvant memoriam. cap. 127.

Idem in eodem. Meditationes salvant memoriam in reminiscendo scilicet in speculando multotiens formam rei reminiscibilis impressam in anima. Idem in eodem aliquid semel factum ut in nimis et raris facilius est reminisci quam id quod frequenter accidit. Ad idem valet quod Tullius in 3o de rethorica dicit scilicet quod res usitate a memoria facile elabuntur. Insignes et nove in animo manent diutius et hoc est quod nulla re nisi nova et admirabili movetur animus. Item Tullius in eodem qui volunt res faciliores sine labore et molestia facile reminisci primo oportet eos in rebus difficilioribus exercitatos esse. Item idem in eodem. Commodius est in deserta quam celebri regione locum memorie collocare quia frequens deambulatio hominum conturbat et infirmat memoriam. Item idem in eodem. Sicut aspectus visus (?) cognitio minus valet si nimis procul removeris vel vehementer prope admoveris ad id quod debet videri.

De differentia memorie et reminiscentie. cap. 128.

Differentia memorie et reminiscentie secundum Aristotilem in libro de memoria et reminiscentia est quod memorativi sunt tardioris ingenii et causa huius est secundum Commentatorem scilicet quod in memorativis magis viget sensus quam intellectus. Memoria enim sensibilis est quia semper est cum ymaginatione que est (?) a sensu, reminiscibiles vero capaciores sunt quia apprehendunt virtute intellectiva sed vero commentatorem super eundem librum hec est differentia scilicet quod memoria est continua observatio illius quod semel fuerit apprehensum. Rememoratio vero est eius quod postquam apprehensum fuit oblitum fuit et iterum memoratum. Unde et diffinit reminiscentiam sic: Reminiscentia est iterata acceptio rei preterite et de facili sine inventione et doctrina et ideo ut dicit commentator memoria est conservatio continua, rememoratio vero conservatio abscisa et sunt hee una virtus in subiecto sed due secundum modum

¶ De diffinitione memorie. cap. 129.

a Aristotiles in libro de memoria et reminiscentia. Memoria est primi sensitivi. Idem in eodem memoria est preteriti accepti memorie recordatio

¶ De sompno et vigilia. capitulum 130.

a Aristotiles in libro de sompno et vigilia diffiniens sompnum dicit quod sompnus est quedam mortis ymago. Item quidam sapiens sompnus est intimi ignis cohercitio et per membra mollita et labore lassata diffusa quies. Item nota quod Aristotiles v questiones querit de sompno et vigilia. Dividitur enim liber ille in duos. Primus agit de sompno et vigilia. 2us de sompno et divinatione. Prima questio est quid sit sompnus et vigilia diffinitive. 2a est utrum sompnus et vigilia solum sint anime aut solum corporis aut utriusque. 3a est cuius particule sint scilicet aut particule anime aut corporis. 4ta est utrum omnia conveniant ambobus scilicet sompno et vigilie aut alia sompno alia vigilie aut alia neutri aut alia utrique. Ad primam questionem dicit quod sompnus est vinculum et inmobilitas sensuum. Vigilia vero est solutio sensuum. Quo videtur quod vigilia nobilior sit sompno quia solutio virtutis sensitive nobilior est eiusdem ligatione. Ad 2am questionem qua queritur utrum sompnus et vigilia solius sit anime aut solius corporis aut utriusque dicit quod utriusque coniuncti. Et utitur ratione tali. Sensus est passio coniuncti et non solius anime vel corporis sed sompnus et vigilia sunt circa idem per se circa quod est sensus ergo etc. Item commentator sompnus et vigilia sunt passiones inherentes coniuncto sicut sentire inest coniuncto sed in hoc differunt quod sentire inest corpori per animam, sompnus autem et vigilia insunt anime per corpus et ideo dicunt magistri quod intellectus prout est corpori coniunctus sompno indiget quia ipsum talis operatur mediante imaginatione que est virtus corporalis et hec coniunctio est causa et ratio quare intellectus hominis intelligit per receptionem et susceptionem et in tempore et sub tempore. Intellectus vero secundum se consideratus est inpassibilis et inalterabilis nec fatigabilis nec sompno indigens. Ad 3am questionem scilicet cuius particule id est aut corporis aut anime sit sompnus et vigilia dicit quod sunt passiones coniuncti ex potentia tamen sensitiva que est sensus communis et ex suo organo quod est cor et utitur tali ratione. Sompnus est passio inherens simul omnibus sensibus particularibus. Sed sensus communis sit sequuntur omnes sensus particulares ergo sompnus et vigilia sunt passiones primo et per se communis sensus. Et nota quod sensus communis est potentia quedam sensitiva secundum subiectum idem cum unoquoque sensu particulari sed differens secundum potentiam et esse. Qui sensus communis discernit et iudicat inter sensibilia sensuum particularium quo sensu communi ligato et inmobili ligantur et inmobilitantur omnes sensus. Ad 4am questionem scilicet propter quam causam insunt sompnus et vigilia animalibus dicit quod tres sunt cause scilicet finalis materialis et efficiens. Causa vero finalis duplex est: una propter esse animalis, alia propter bene esse. Causa vero finalis spectans ad esse animalis est salus et primo supponit ad hoc ostendendum quod natura omnia que facit facit propter aliquem finem quod est bonum et invenit tale aliud. Omne quod natum est moveri cum non posset moveri continue sine fatigatione et pena necessaria est quies propter salutem. Sed omne animal est huiusmodi ergo omni animali est necessaria quies. Sed illa quies est sompnus ergo etc. Causa finalis sompni spectans ad bene esse animalis est vigilare id est vigilie opera exercere quod sic probatur. Vigilare et exercere opera vigilie sunt finis animalis quia vigilare est sentire et sapere sed sentire et sapere est optimum in animali et optimum in animali est finis ergo vigilare quod est sentire et sapere est causa finalis.